THEORIAM ATQVE THERAPIAM MOLESTI FEBRIVM ESSENTIALIVM SYMPTOMATIS CVIVS SIGNVM EST ANXIETAS

ANNVENTE SVMMO NVMINE
AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA IVLIA CAROLINA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

DNO· LAVRENTIO HEISTERO

MED· D· SER· DVC· BRVNOV· AC LVNEB· A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO PRAXEOS CHIRVRG· ET BOTAN· PROFESSORE PVBLICO ET PRIMARIO ACAD· SCIENT· CAESAR· ADIVNCTO ITEMQVE SOCIET· REG· LOND· ET BEROL COLLEGA ATQVE FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ET HOC TEMPORE DECANO GRAVISSIMO

PATRONO AD CINERES DEVENERANDO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS DOCTORALIBVS
MORE MAIORVM LEGITIME
IMPETRANDIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
EAM
IN IVLEO MAIORI
IPSIS CALEND· DECEMBR· A· R· S· CIƆIƆCCLV
HORIS CONSVETIS
PVBLICE DEFENSVRVS AVCTOR

IAC· FRIEDER· IOAN· MVLLER HILDES
POLIATER ATQVE PHYSICVS SEESENSIVM DESIGN
ET SOCIET· TEVT· QVAE HELMST· FLORET MEMBRVM HONOR

HELMSTADII
LITTERIS b· SCHNORRII ACAD· TYPOGR

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO WILHELMO FERDINANDO

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

DVCIS REGNANTIS

BRVNOVICENSIVM

ET

LVNEBVRGENSIVM

PRINCIPI HAEREDI

PATERNAE VIRTVTIS ICONI

CELSISSIMAE DOMVS SPLENDORI

SVBDITORVM FELICISSIMORVM SPEI

PRINCIPI AC DOMINO SVO

LONGE CLEMENTISSIMO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

SEQVE IPSVM

HVMILLIMA GRATISSIMA AC DEVOTISSIMA

M E N T E

D' D' D'

VITAM LONGISSIMAM AC SANISSIMAM

E T

FELICITATEM OMNIGENAM AC PERPETVAM

RELIGIOSE APPRECATVS

TANTO PRINCIPI

S V B I E C T I S S I M V S   S E R V V S

A V C T O R

PROOEMIVM

Non defuerunt quidem, ſpecimen inaugurale tenuitatis virium exhibituro, themata diſſertatione iatrica ſatis digna, hinc id meditanti non levia viſa, ſed potius eligenti multitudine, varietate, amplitudine aut gravitate materiae moleſta. Mere theoretica aeque minus ac mere practica intentioni ſatisfacere potuerunt. Graviora, ſublimioribus ſuperſtructa doctri-

nis, viris subtilitate ingenii praepollentibus et profunditate iudicii praestantioribus, quos intra velum docuerunt Musae, relinquere fas esse putavi. Quae novitate rei se commendabant, vel ita erant comparata, ut ulteriora desiderarent tentamina, quae sufficerent ad certitudinem assertorum probandam, verbi gratia, *virium electricarum in sanandis morbis mensura et efficacia*, quam observatis atque experimentis non spernendis compertam habeo; vel a doctissimis viris iamiam ita erant illustrata, ut pro tempore nil luminis posset affundi. Eiusmodi conditionis deprehendi materiam *de natura et salubritate fontis soterii prope Helmstadium* scaturientis, quae tribus retro abhinc mensibus, praesidente VIRO ILLVSTRI EXCELLENT. DNO. LAVR. HEISTERO, PRAESIDE et meo atque PATRONO ad urnam colendo, CVIVS nomen, cum totum impleat orbem, famam TANTI VIRI involvit, a *Dno. D.* RAHLWES, cum bonorum omnium applausu, publice est ventilata. Cum hic iam, eo dignam, praeripuerit palmam, quae proprio marte, id iubente ILLVSTRI COLLEGIO MEDICO, quod Brunsvigae floret, quantum autumnale tempus permisit, institui experimenta, praesertim ea,

quae

quae connubium fontis huius medicati martialis cum lacte concernunt, alio tempore publici iuris faciam, ut additamentum tractatus, quem, nostro idiomate elucubrans, ad umbilicum fere perduxi, cui titulus erit: **Kurzer Unterricht von Brunnentrinken, insonderheit vor diejenigen, welche die Gesundbrunnen nicht an denen Quellen gebrauchen.** Vt autem quod mihi eligendum erat thema, scopo sit accommodatum, ut nimirum profectuum in medica scientia extet vel qualecunque testimonium, prae aliis arrisit illud, *de anxietate febrium essentialium*, quippe quod potiores salutaris scientiae partes percurrit, et cuius perspecta cognitio non sine usu erit practico. Temporis opportunitas concinnitatem observare iubet, sequar ego, quantum fieri poterit, non renitens. Experiar, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Adsit autem BENIGNISSIMVM NVMEN tam his conaminibus, quam omnibus meis laboribus privatis aeque ac publicis, ut in adorandi SVI NOMINIS immensam gloriam, scientiae salutaris incrementum, afflicti proximi verum emolumentum, et propriam salutem cedant omnes.

Q. D. B. V.

§. I.

Anxietatis perceptio menti eſt ingrata. Ergo quando mens anxietatem percipit, ſibi format ideam rei taedioſae, quae ei eſt praeſens.

§. II.

Perceptio haec ingrata (§. 1.) coexiſtit cum mutationibus ſive laeſionibus functionum quorundam viſcerum vitalium.

§. III.

Datur nexus inter mentem et corpus. In illa producuntur ideae, prout ſenſorium commune, per nervos, a mutationibus iis in partibus, quibus, proſpiciunt, fientibus modificatos afficitur.

§. IV.

Metaphyſicus ſcrutatur mentem, Medicus vero corpus ſibi ſubiectum vindicat. Iſtius erit attributa perceptionis anxietatis, ut operationis mentis, ſeorſim enucleare, eiusque cum laeſionibus functionum quorundam viſcerum vitalium coexiſtendi rationem (§. 3.) demonſtrare, quas, qua tales (§. 2.) hic

hic rimatur, in quarum caufas inquirit, hisque medetur. Cum fuum fit cuique tribuendum, demonftrationem prioris, cuius nervus ex placitis eorum, qui de commercio inter animam et corpus condiderunt fyftemata erit repetendus, metaphyficis relinquendo, ad pofterioris explanationem me accingo.

§. V.

Mutationes five laefiones vifcerum vitalium dictae (§. 2.) obfervantur potiffimum in negotio refpirationis et actione cordis atque arteriarum, quae ratione vehementiae varios recipiunt gradus.

§. VI.

Gradus eft quantitas qualitatis determinata. Ergo ex quolibet gradu laefionum functionum vifcerum vitalium dictarum (§. 5.) erui poterit qualitas graduum omnium.

§. VII.

Moribundi, qui non fubitanea extinguuntur morte, fed, cum morbo antea conflictati, eiusdem vi ultimam animam agunt, fumma anxietate cruciari folent. In hac vitae cum morte lucta, fequentia apparent phaenomena: refpiratio difficilis, denfa, cita, anhe-

losa, conatus erecto corporis situ respirationem levare, suspiria, ingratus stridor in vesiculis aëreis pulmonum (das röcheln), vacillans, debilis pulsus, frigus et pallor extremorum; praeterea inquietudo, iactatio membrorum et totius corporis irrequieta, uno verbo δυσφορία Hippocrati dicta, et his similia. (vid. Ill. ac Excell. Dn. PRAESIDIS Comp. Pract. C. III.-V. FR. HOFMANNI Medic. Consultat. Magni BOERHAVII Aphor. §. 631. 632. et eius Commentatorem Perillustr. Ger. van SWIETEN.)

§. VIII.

Laesiones negotii respirationis atque actionis cordis et arteriarum dictae (§. 7.) sequuntur impotentiam pulmonis atque cordis et arteriarum suas decenter exercendi actiones, cuius causa est horum viscerum vitalium constitutio vitiosa.

§. IX.

Anatomia practica constitutionem partium, quarum actiones laesae fuerunt, in articulo mortis vitiosam palam facit. Quando cadavera inciduntur eorum, qui summa anxietate afflicti, phaenomenis dictis (§. 7.) stipata, perierunt, semper inveniuntur ventriculi cordis hisque et auriculis annexa vasa sangui-

guifera maiora, praesertim pulmonalia et ventriculus dexter sanguine turgida atque infarcta (vid. BOERHAVII *Aphor.* §. 749. BONETI *Sepulchr.* et *Script. alios.*)

§. X.

Certissimum est, id quod ex sequentibus patebit (§. 40.), infarctum sanguinis dictum (§. 9.), qui impedivit, quo minus sanguis in ventriculis cordis contentus, in huius systole egredi potuerit, actionem cordis ad quietem perduxisse, hinc oeconomiae corporis mortem intulisse. Cum autem ex legibus circulationis liquidi vitalis constet, non nisi sensim sanguinem in systemate vasculoso sanguifero ita accumulari posse, ut eiusmodi infarctus oriatur, sequitur, sensim impediri sanguinis ex corde egressum liberum.

§. XI.

Effectus est proportionatus suae causae. Hinc gradus accumulationis sanguinis, in cavis cordis et vasorum sanguiferorum sensim fientis, determinat gradum sensim auctum impediti sanguinis ex corde egressus (§. 10.), quem laesiones negotii respirationis atque actionis cordis et arteriarum (§. 5. 7.) proportionatae sequuntur (§. 8.).

§. XII.

§. XII.

Laesionibus functionum dictis (§. 5. 7.) praesentibus, praesens est perceptio anxietatis (§. 1.) iis absentibus abest, et gradus sibi invicem respondent.

§. XIII.

Cum mutationes in mente et corpore coexistentes (§. 1. 2.) arcto adeo vinculo copulentur (§. 12.), et nervi, ex cerebello oriundi, visceribus vitalibus, quorum functiones laesae deprehenduntur (§. 8.), prospiciant (vid. Ill. atque Eccell. Dni PRAESIDIS Comp. Anat.); verissimum est (§. 3.) perceptionem anxietatis eodem prosilire fonte, ex quo laesiones functionum viscerum vitalium dictae (§. 5.) propullulant.

§. XIV.

Id ergo, quod anxietatem vocamus, est perceptio ingrata (§. 1.), orta ex impedito sanguinis ex corde egressu (§. 13. 10.)

§. XV.

Circulatio sanguinis est actio vitalis, quae ut integra sit est lex sanitatis. Integra ea est, 1) si virium cordis aggregatum, ex physica et vitali vi, proportiona-

tum

tum eſt virium arteriarum aggregato itidem ex phyſica et vitali vi, hinc ſi ad ſanguinem propellendum cor eſt ſufficiens, 2) ſi vaſa decenter ſunt aperta, 3) ſi ſanguis eſt tranſire aptus

§. XVI.

Impeditus ſanguinis ex corde egreſſus (§. 11.14.) legibus circulationis contradicit (§. 15.), hinc eſt ſymptoma actionis vitalis.

§. XVII.

Medicus anxietatem non conſiderat proprie (§. 4.), ſed ut tale, ex quo poſſit cognoſcere exſiſtentiam et gradum dicti ſymptomatis vitalis (§. 16.), hinc ei eſt ſignum.

§. XVIII.

Familiare quidem eſt hoc ſymptoma (§. 16.) variis diverſi admodum generis morbis, tam acutis quam chronicis, iis praeſertim ſive febrem comitem habentibus, ſive in illam transeuntibus. Aſt brevitatis ſtudium non permittit in omnes huius ſymptomatis ſpecies inquirere. De praeſenti hoc tantum contemplaturus ero, ut ſymptoma febrium eſſentialium. Febrem eſſentialem vocant ſyſtemata medica,

quae a nullo alio morbo praegreſſo vel comitante dependet, ad quam omnino pertinet febris inflammatoria quaecunque acuta, quippe quod inter eius eſſentialia, non cauſas, inflammatio referatur. Numeroſas ſane admittit hoc genus febrium diviſiones et ſubdiviſiones ſpecificas, (vid. Illuſtr. ac Excell. Dni PRAESIDIS Comp. Pract. C. II. et III.), quas omnes praeter has, quatenus ratione typi in continuam et intermittentem, atque ratione moris in benignam et malignam diſtinguitur, adducere locus non eſt. Satis erit ſi dixerim, me ſupponere corpus ante febrem a ſontico morbo, vel notabili viſcerum nobiliorum corruptela liberum.

§. XIX.

Non omni febris ſtadio praeſens eſſe ſolet hoc ſymptoma (§. 16.). In malignis acutis ab initio ſtatim tragoedias ſuas ludit ſane atroces, quas ad mortem usque continuat. In benignioribus ſub incremento et ſtatu, uti in paroxysmorum intermittentium frigore praeſertim adeſſe ſolet.

§. XX.

Summa dicendorum erit:

1. quae ſint noſtri ſymptomatis cauſae?

2. qui-

2. quibus ſignis quaevis harum ſit cognoſcenda? et quid inde metuendum?
3. qua methodo ita emendandum ſit, ut ſanitas ſequatur?

§. XXI.

Explanatio priorum (§. 20. n. 1. 2.) abſolvit tractationem theoreticam; poſterioris (ibid. n. 3.) practicam, ſpeciatim therapeuticam.

§. XXII.

Impeditus egreſſus ſanguinis ex corde (§. 16.), ſeu reniſus cordi datus, eſt ſeries effectuum ſibi ſubſequentium et connexorum (infra §. 39.), quorum ratio communis invenienda in conſtitutione vitioſa partium, quae in ſtatu naturali ad circulationem liquidi vitalis ſuum conferunt ſymbolum. Erit ergo conſtitutio harum partium vitioſa demonſtranda, dictae ſeriei effectuum cauſa immediata.

§. XXIII.

Anatomia, quae ſitum atque fabricam, et Phyſiologia, quae uſum atque functiones partium corporis humani explicat, docent.

1. Partes circulationi ſanguinis dicatas eſſe cor, du-

obus ventriculis et totidem auriculis instructum, vasaque his connexa, nimirum canales arteriarum et venarum:

2. Per has cavitates (n. 1.) moveri sanguinem motu aequabili:

3. Ex ventriculo cordis sinistro prodire arteriam aortam, conicam, ad omnes corporis partes sanguinem chylosum deferentem, abire in innumeros angustissimos ramos, connecti cum aeque angustis venis, sensim amplioribus, humorem vitalem secretionibus factis, ex omni corporis puncto revehentibus, et in truncum communem, venam cavam, collectum, per auriculam cordis dextram, ventriculo eius dextro infundentibus:

4. Ex hoc oriri arteriam pulmonalem, per totam pulmonis substantiam dispersam, sanguinem acceptum per ultimas eius angustias in venam pulmonalem transprimentem, quae cum auriculam sinistram intraverit, eum in ventriculum sinistrum, unde profectus primo, deponit:

5. Omnem sanguinem venosum viscerum chylo-

poie-

poieticorum, in abdomine positorum, per arterias, coeliacam et mesentericas, allatam, nunc redeuntem, excepto eo a nutritione horum viscerum residuo, antequam ingrediatur venam cavam, colligi in unam venam portarum, valvulis fere omnibus destitutam, eum in hepar, motu tardiori, introducentem, et, secretione bilis facta, tandem in venam cavam vehentem:

6. Vltimas arteriarum fines capillares in lumine eiusmodi esse plerumque capacitatis relativae ad sanguinem transmittendum, ut una saltem seorsim transire possit sanguinis molecula, cum aliquali difficultate:
7. Extrema arteriae pulmonalis vasa capillaria, minimam habere capacitatem relativam, omnium arteriarum sanguinearum.

§. XXIV.

Cum liber sanguinis ex corde egressus, coeteris paribus, pendeat tam a debita apertione cavitatis vasorum, cordi contiguorum hisque connexorum, quam a decenti cohaesione relativa partium humoris transmittendi (§. 15.), causa efficiens immediata pessimi no-

ſtri ſymptomatis (§. 16.), obſtructio dicenda, haerebit vel in vaſis, vel in ſanguine, vel in utrisque ſimul. Erit ergo

1. vel imminutio cavitatis canalium vitioſa,
2. vel ſanguinis cohaeſio naturali maior,
3. vel ex his compoſita cauſa.

§. XXV.

Quicquid ex cauſa febrium praexiſtente, vel ex mutatione a febre in corpore facta (vid. BOERH. *Aph. §. 587.*), cavitatem decentem canalium imminuere, aut ſanguini partium ſuarum cohaeſionem naturali maiorem inducere valet, eſt noſtri ſymptomatis (§. 18. 16.) ex efficientibus cauſa mediata proximior.

§. XXVI.

Ex Pathologicis conſtat:

1. Spasmum febribus eſſentialibus (§. 18.) eſſe familiarem;
2. per ſpasmum vaſis alicuius cylindrici imminui rotundum eius lumen, parietibus ad centrum accedentibus:
3. Spasmum, notabile quoddam vas ſanguiferum vel plura minora ſimul afficientem, propagari

per

per totum eorum ſyſtema, quia tunica nervoſa ſunt inſtructa:

4. Flatus in cavo aliquo haerentes anguſtare premendo vaſa adiacentia:

5. Idem effici poſſe a ſaburra varii generis, in ventriculo vel canali inteſtinorum fluctuante:

6. Maſſam ſanguineam per motum febrilem velociorem acquirere inflammatoriam indolem, et, ſi iam praeextiterit, illam augeri:

7. Sanguinem in vaſe obſtructo perſiſtentem, eo magis tranſire ineptum reddi, quo diutius quietus maneat, et abire in ſpontaneas concretiones:

8. Eum, niſi cito expediatur ſtaſis, cum a liquido, quod a tergo, eum impellendo, urget, amiſſa parte fluida, magis magisque inflammetur, inducere parti, ubi quieſcit, gangraenam et mortem.

§. XXVII.

Sedes cauſae mediatae proximioris (§. 25.), primam ex dictis immediatis (§. 24. n. 1.) producens, eſſe poterit vel in vaſis ipſis, vel extra eadem.

§. XXVIII.

Si haeret in vaſis ipſis (§. 27.) erit ſpasmus (§.

26.

26. 1. 2. 3.), Hinc orietur ea obſtructionis (§. 24.) ſpecies, quae a propria vaſis contractione, hoc loco violenta, provenire dicitur.

§. XXIX.

Si extra vaſa (§. 27.) locum habet, merito accuſantur aut flatus (§. 26. n. 4.) aut ſaburra varii generis (ibid. n. 5.) in primis viis. Naſcetur inde ea obſtructionis (§. 24.) ſubdiviſio, quam θλίψιν appellat Schola.

§. XXX.

Si ipſe ſanguis eſt in culpa, ut inde producatur cauſa immediata ſecunda (§. 24. n. 2.), peccabit indoles eius inflammatoria (§. 26. n. 6.). Exinde natam obſtructionis (§. 24.) ſpeciem ἔμφραξιν vocant. Quantitas ſanguinis naturali maior, et motus eius iuſto tardior, inter cauſas mediatas ſtricte ſic dictas proximiores referri nequeunt, ob dicta (§. 25.), ad cohaeſionem tamen partium ſanguinis diſponere, et iam naturali maiorem redditam augere poſſunt.

§. XXXI.

Apparet, ex cauſis mediatis proximioribus (§. 25.) ſpasmum (§. 28. 26. n. 3.) et inflammatoriam ſangui-

guinis indolem (§. 30. 26. n. 6.) univerſales, flatus vero et ſaburram (§. 29. 26. n. 4. 5.) particulares cauſas dici poſſe.

§. XXXII.

Quamvis vero ſpasmodica vaſorum contractio (§. 28.) ratione ſyſtematis vaſorum ſanguiferorum, ſit cauſa mediata proximior univerſalis (§. 31.), praecipue tamen in arteriis (§. 23. n. 3.), et quidem in earum anguſtiis (ibid. n. 6.), maxime in anguſtiis arteriae pulmonalis (ibid. n. 7.), ad producendam cauſam immediatam primam (§. 24. n. 1.) erit ſufficiens.

§. XXXIII.

Idem (§. 32.) verum eſt de cauſa mediata proximiore univerſali altera (§. 31.), de inflammatoria nimirum ſanguinis indole (§. 30.).

§. XXXIV.

Cauſa mediata proximior particularis (§. 31.), cum haereat in ventriculo et canali inteſtinorum (§. 26. n. 4. 5.), aget quidem, ob ſitum harum partium, diaphragma ſurſum pellendo, hinc thoracis cavitatem anguſtando, in pulmonum vaſa, praecipuam tamen actionis ſuae vim derivabit in venae portae ramos (§.

C 23.

23. n. 5.), et, cum ſanguis in his iam naturali motu tardo feratur (ibid.), is ad cohaeſionem naturali maiorem magis fiet aptus, vel inflammatoria eius indoles praeſens augebitur (§. 30.). Aderit ergo cauſa immediata tertia (§. 24. n. 3.).

§. XXXV.

Sive cauſarum unam, ex dictis (§. 28, 29, 30.) mediatis proximioribus, ſolitarie, ſive duas vel omnes coniunctis viribus agere cogitemus, idem erit effectus, gradu ſaltem diverſus. (§. 11.).

§. XXXVI.

Cauſae immediatae (§. 24.), a cauſis mediatis proximioribus (§. 28, 29. 38.) productus, effectus primus erit, in loco his proprio (§. 32, 33, 34.), ſtaſis, ſive impedita transmiſſio ſanguinis per vas, cui cauſa applicata eſt, fluxuri. Pro gradu cauſae agentis, effectus erit vel maior vel minor (§. 11.), ita ut motus ſanguinis ibi vel in totum vel quoad partem ſiſtatur.

§. XXXVII.

Effectus remotus, per dicta (§. 23. n. 3. 4, et §. 35.) poſſibilis, erit immeabilitas ſanguinis, illum, pone locum in quem cauſa agit mediata proximior, remorantem (§. 36.) ſecuturi. Eum vero gradu diverſum eſſe poſſe, patet per dicta (ibid.).

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Effectus summus quem producere valet, est effectus remotus (§. 37.) in tantum continuatus, ut cor sanguinem in ventriculis suis haerentem (§. 23. n. 3. 4.) in arterias (ibid.) libere evacuare amplius non possit. Gradus recipit (§. 37.).

§. XXXIX.

Paucis demonstrari poterit modus, quo fiat, ut causis mediatis proximioribus (§. 28. 29. 30.) agentibus, iisque causam immediatam inducentibus series effectuum (§. 36. 37. 38. 22.) sequatur.

§. XL.

Agat causa mediata proximior (§. 28. 29. 30.), quaecunque demum sit (§. 31. 35.), producet causam immediatam (§. 24.), quae certe impediet, quo minus sanguis allatus, per vasa, ubi applicata causa mediata proximior est, ulterius progredi possit (§. 36.), hinc producet effectum remotum (§. 37.). Sanguis ergo accumulabitur, et vasa extendet, quae sanguinis accumulatio et vasorum extensio omnibus ac singulis cordis ictibus multiplicata crescet, eo usque, donec ob connexionem systematis vasculosi sanguinei (§. 23. n.

 3. 4.

3. 4. 5.) arteriae, vel aorta vel pulmonalis, vel utraeque (ibid.), plenae, turgidae atque distentae, plus sanguinis recipere non possint, nec ventriculi cordis (§. 23. n. 1. 3. 4.) se evacuare queant, et effectus dictus (§. 22.) sequatur.

§. XLI.

Causam materialem cordi renisus dati (§. 22.) esse sanguinem arteriosum, arteriis, vel aorta, vel pulmonali, vel utrisque, infarctum, patet per dicta (§. 40.).

§. XLII.

Quodsi una, ex dictis causis mediatis proximioribus universalibus (§. 31.), vel ambae agant in arteriae pulmonalis fines (§. 32. 33.) producet causa immediata (§.24.) effectus dictos (§. 36. 37. 38.), atque in eius trunco (§. 23. n.4.) erit quaerenda causa materialis (§. 41.), hinc ventriculo cordis dextro nascetur renisus (§. 40. 23. n. 4.). Modus, quo fiat, specialis constat per dicta (§. 04.).

§. XLIII.

Vna ex dictis causis mediatis proximioribus universalibus (§. 31.), vel ambabus, ramis arteriae aortae applicatis (§. 32. 33.), causa immediata (§. 24.) efficiet

quae

quae expoſita (§. 36. - 38.). Cauſa materialis (§. 41.), dum haereat in trunco arteriae aortae (§. 23. n. 3.), pariet reniſum ventriculo cordis ſiniſtro (§. 40. 23. n. 3.). Modus fiendi ſpecialis erui poterit ex dictis (§. 40.).

§. XLIV.

Ponamus agere cauſam mediatam proximiorem particularem (§. 34.), actione vel ſolitaria vel cum univerſalibus (§. 32. 33.) coniuncta (§. 35.), cauſae immediatae (§. 24.), in ramis venae portae haerentis, effectus (§. 36. 37. 38.) propagantur, ob connexionem ſyſtematis vaſculoſi (§. 23. n. 3. 4.), in arteriam aortam, ergo cauſa materialis (§. 41.) haerebit in huius trunco (§. 2. 3. n. 3.), et reſiſtet ventriculo cordis ſiniſtro (§. 40. 23. n. 3.). Quo modo id fiat indicant expoſita (§. 40.).

§. XLV.

Ex accidentalibus circulationis ſanguinis, ut directione ſui motus (§. 23. n. 3. 4.), explicatu facile eſt, dato reniſu uni ventriculo eundem dari alteri. Hinc, nondum integre abſoluta circulatione una, fiet ex caſu primo (§. 42.) alter (§. 43.), citius ex tertio (§. 44.) alter (§. 43.), citiſſime ex altero et tertio (§.

43. 44.) primus (§. 42.). Ob brevitatem vero itineris ſanguinis maiorem (§. 23. n. 4.), in arteria pulmonali gravior ſemper fiet reniſus ventriculo cordis dextro (§. 9.).

§. XLVI.

Ex hactenus demonſtratis (§. 22. ad 45.) anxietatem febrilem (§. 18. 19.) ſpecialius definire licebit, quod ſit perceptio ingrata (§. 14.) orta ex circulatione ſanguinis ita mutata, ut impediat, quo minus ſanguis ex cordis ventriculo dextro libere egredi poſſit (§. 45.).

§. XLVII.

Illud, quod cauſas mediatas proximiores (§. 28. 29. 30.) producere valet, vel ut producantur iuvat, eſt noſtri ſymptomatis (§. 24.) cauſa mediata remotior.

§. XLVIII.

Duas habet claſſes cauſa mediata remotior (§. 47.), unam occaſionalium ſive προκαταρκτικῶν, quam vitia ſex rerum non naturalium, et a febre praeter naturam producta, quae omnia fere ſunt infinita, abſolvunt; praediſponentium ſive προηγουμένων alteram, ad quam quaedam ex rebus naturalibus pertinent.

§. XLIX.

§. XLIX.

Causae mediatae remotiores (§. 47.), et quidem occasionales (§. 48.), coincidunt cum iisdem febrium causis mediatis remotioribus (vid. BOERH. Aphor. §. 586.), quando impeditus sanguinis ex corde egressus (§. 16.), eiusque signum anxietas (§. 17.), his febribus accidit ut symptoma (§. 18.), non magis vero intricata est harum causarum inventio, si iisdem supervenit tanquam ἐπιγενόμενον.

§. L.

Spasmus (§. 28.) oritur (§. 48.), a frigore corpori calenti admisso, acri irritante in primis viis haerente, vel cum sanguine permixto, cibis, potu, medicamentis, stimulantibus, exsicantibus, vigiliis nimiis, insomniis percellentibus, pathematibus animum graviter exagitantibus, excretionum vel retentionum augmento insigni, cacochymia biliosa, salina, putrida, frigore ab interna causa orto, genere nervoso sensibili, corpore ad affectiones hypochondriacas vel hystericas inclinante, et similibus.

§. LI.

Flatus (§. 29.) existunt atque cumulantur, ab

aëre

aëre vappido, ventoſo, regimine ex calido in frigidum mutato, cibis flatulentis, dulcibus, fermentantibus, fructibus horaeis, praeſertim immaturis, comeſtis, potu non fermentato vel frigide ingurgitato, quiete nimia, excretorum retentione, temperamento humido, habitu corporis molliori, laxo, cachectico, conſuetudine retinendi flatus, vitae genere ſedentario, diſpoſitione haereditaria, chymi perfectione impedita, vel plane ſublata.

§. LII.

Saburra varii generis in primis viis (§. 29.) colligitur, ante febrem a cibis δύσπεπτις, tam ex regno animali, duris, ſale conditis, fumo induratis, viſcidis, pinguibus, corruptis, oleoſis, quam vegetabili, auſteris, crudis, non fermentatis, farinaceis, pultaceis, putridis venenoſisque particulis inquinatis, pravae et contrariae indolis, non decenti mora, tempore vel copia aſſumtis, potu acido, non fermentato, putrido, tartareo, nimio, nocturno; in febribus vero, non ſolum ab his, ſed etiam ab aſſumtis alias minus nocivis, corporibus tamen febrientium, quibus actio viſcerum chylopoieticorum depravat exſiſtit, inſalubribus.

§. LIII.

§. LIII.

Inflammatiora indoles ſanguinis (§. 30.) progerminat et praeſens creſcit, ex aëre impuritatibus et miasmatibus contagioſis repleto, aeſtu maiori, regimine iuſto calidiori, medicamentis volatilioribus, cibis et potu calidioribus, aromaticis, meracioribus, potu deficiente, motu vehementiori, vigiliis nimiis, animi pathematibus intenſioribus, excretorum vel retentorum augmento vel decremento iuſto maiori, plethora, temperamento calido et ſicco, vitae genere lauto et inordinato, motu febrili velociori et quae his coincidunt.

§. LIV.

Pathologia noſtri ſymptomatis (§. 24.) ſic abſoluta, ſequitur (§. 20, n. 2.) eiusdem Semiotica, quae cauſarum mediatarum proximiorum (28, 29, 30.) diagnoſin et prognoſin exponit.

§. LV.

Per quae ſigna pateſcit, tam quod noſtrum ſymptoma (§. 24.) adſit, et quo gradu, quam quae eius ſit cauſa mediata proximior (§. 25.) agens, ea conſtituunt diagnoſin eiusdem, priora generalem, poſteriora ſpecialem.

§. LVI.

Diagnoſis noſtri ſymptomatis generalis (§. 55.) ex praeſentia et gradu perceptionis anxietatis (§. 1.), atque cum hac coexiſtentis laeſionis negotii reſpirationis et actionis cordis et arteriarum (§. 5.), nec non moliminum aegri, dirum hoc malum levare (§. 7.) deſumitur (§. 8. 10. 11.).

§. LVII.

Diagnoſis (§. 55.) ſpasmi (§. 28.) habetur ex cauſis eum inferentibus (§. 50.) ſignis ipſius pathognomicis, ex urina, pulſu, lingua, et his ſimilibus derivandis, ſpecie et ſtadio febris, ſignis diagnoſticis noſtri ſymptomatis generalibus (§. 56.) ſubito et improviſo ortis, atque intolorabili ſenſu conſtrictorio circa praecordia. Omnia autem enarrata graviora deprehenduntur, ſi pulmonalia (§. 42.), mitiora ſi reliqua per corpus diſperſa vaſa (§. 43.) ſpasmo afficiuntur.

§. LVIII.

Flatus (§. 29.) eſſe accuſandos, praeter praeſentiam fontium eorum (§. 51.), patefaciunt ructus varii ſaporis, borborygmi, expanſio regionum abdominalium, praeſertim hypochondriacae et epigaſtricae,

atque

atque levamen poſt flatuum ανώ καὶ κάτω, exploſionem. Acerbis quidem inſultibus vexant aegros ſigna diagnoſtica generalia noſtri ſymptomatis, ex hac cauſa, ſed quandoque mitiora haec reddita, vel evaneſcentia ad aliquod tempus, iis ſolatium praebere ſolent.

§. LIX.

Quod ſaburra in ventriculo et canali inteſtinorum fluctuet (§. 29.), et cuius haec ſit proſapiae, docent cognita diaetae vitia (§. 52.) atque ſigna ſordium communia et ſpecifica, cum his, ex ſpecie febrium, praeſertim malignarum, ſtomachicarum, inteſtinalium, meſentericarum vel dyſentericarum deſumtis, combinata. Cum vero haec ſit cauſa conſtans, ſemper acrior fiens, ſigna noſtri ſymptomatis diagnoſtica communia (§. 56.), ex hac cauſa orta, non remittentia, ne dicam tranſientia, eſſe queunt.

§. LX.

Indoles ſanguinis inflammatiora merito inculpatur, quod ſit cauſa noſtri ſymptomatis mediata proximior (§. 30.), ſi eius evincitur praeſentia ex ſpecie febris vel inflammatoriae, tam ſimplicis, quam exanthematicae, vel malignae diverſi generis. Non

mirum, ſi ſigna noſtri ſymptomatis diagnoſtica generalia (§. 56.), ab hac cauſa, adſtantium animos turbant, eosque ita afficiunt, ut fere condoleant aeque, ac perceptio anxietatis eam ſentientes crudeliſſimis tentat cruciatibus.

§. LXI.

Plures ſimul adeſſe cauſas (§. 35.) ex concurſu ſignorum (§. 57, 58, 59, 60.), quamlibet cauſam indicantium, auguramur. Fieri autem hoc poſſe ex eo videmus, quod una alteram non tollat, et quod actu fiat, experientia docet clinica.

§. LXII.

In Prognoſi (§. 54.), quae de eventu praenuntiat vel bono vel malo, omnino reſpiciendum ad virium vitalium integritatem vel iacturam, cauſas agentes mediatas proximiores (§. 28, 29, 30.), earumque numerum, naturam, vim atque ſedem, ad ſpeciem et indolem febris an haec ſit benigna, an maligna, ſtadium eiusdem, an initio, incremento, ſtatu vel declinatione adſit noſtrum ſymptoma, vel ſi intermittentium paroxysmorum comes ſit, an frigoris tempore an aeſtus affligat, porro an criticum an ſymptomaticum an ἐπιγενόμενον cenſendum, demum utrum medicamentis

cedat

cedat ne ne. Quae omnia, ſi ex principiis pathologicis collatis cum phyſiologicis reſolvuntur, et ad rationis atque experientiae clinicae ductum, ceu ad lapidem lydium examinantur, ſcrutatorem non dubium relinquent, quid ſit praeſagiendum, ſemper tamen ante oculos habentem id, quod monet medicorum pater, Aphor. 19. Sect. II. *Acutorum morborum non omnino tutae ſunt praedictiones neque mortis neque ſanitatis.* Quid, ratione diuturnioris ſubſequentis morbi et ipſius vitae periculi, ſit metuendum docent dicta (§. 26. n. 7. et 8.). Plura eaque ſpecialiora de praeſenti, cum diſſertationem non librum ſcribere mihi ſit conſtitutum, ſicco pede tranſire cogor. Fontes adduxiſſe ſufficiet.

§. LXIII.

Hactenus explanata noſtri ſymptomatis (§. 24.) Theoria, ad eiusdem Therapiam generatim delineandam (§. 20. n. 3.) propero: quae cauſarum mediatarum proximiorum (§. 28, 29, 30.) vel ablationem vel correctionem indicat.

§. LXIV.

Cauſae mediatae proximiores auferuntur vel corriguntur (§. 63.) ablatione vel correctione cauſarum

 medi-

mediatarum remotiorum (§. 50, 51, 52, 53.) proximiores inferentium. Indicationes, tam curatoriae quam mitigatoriae formantur, pro ſede ſpeciali (§. 32, 33, 34.) et concurſu (§. 35, 61.) cauſarum agentium, genio et ſtadio febris (§. 18.) atque viribus aegri, diuerſae. Indicata deſumuntur ex fonte partim diaetetico, partim pharmaceutico, partim chirurgico, quae inventu non erunt difficilia, cum activa non numeroſa aut pretioſa iuvant.

§. LXV.

Spaſmum (§. 28.) oriri vel ex cauſa externa, vel in corpore latitante, vel produci ab animi gravi affectu, dictum eſt (§. 50.). Priori caſu ſpasmo medemur, mutatione cauſae externae in contrariam, ſecundum regulas diaeteticas. In altera perficimus rem expellendo acre, in primis viis haerens, vomitorio vel purgante blando, horis medicis propinato, id cum ſanguine permixtum, medicamentis diapnoicis, diaphoreticis, ſudoriferis non volatilibus ex corpore vel eliminando, vel corrigendo eius indolem atque vim, diluentibus, temperantibus, mucilaginoſis, demulcentibus, emulſis. Caſus poſterior, partim moralia partim medica requirit auxilia, iſta, ut ſopiantur vel extinguantur animi affectus, haec, ut mala in corpore na-

ta

ta vel nascitura, aut corrigantur, aut avertantur. Simul eo videndum, ut relaxentur vasa spasmo affecta: quod optime fit, partes exteriores moderate fricando, clysmata emollientia et relaxantia nonnunquam circa vesperam iniiciendo, et vaporem aquae calidae, cum herbis emollientibus coctae, ore attrahendo, qui, inspirando in pulmones delatus, vasa pulmonalia egregie laxat. Anodynis et narcoticis, debita dosi et tempestive usurpatis, etiam locus est concedendus, de quibus et monitis practicis, scripta medico-practica evolvi merentur, in quibus SYDENHAMII et Illustris HEISTERI scripta eminent.

§. LXVI.

Flatuum (§. 29.) cura remedia requirit diaetetica, ea, quae sufficiunt partim ut eorum augmentum impediatur, partim ut explosio ἄνω καὶ κάτω promoveatur. Ea sunt, assumta flatulenta vitata, regimen moderate calidum, motus lenis, abdominis blanda motitatio. Remedia pharmaceutica applicanda, erunt pro re nata, vel evacuantia in morbi principio, emetica et cathartica lenia, vel carminativa, stomachica et tonum restaurantia, minus tamen spirituosa. In vigore morbi, ubi evacuationes paulo vehementiores a viribus

ae-

aegri contraindicantur, clysmata emollientia, oleosa, carminativa, fistulam intestinalem relaxando aegris dulce conciliabunt lenimen.

§. LXVII.

Quodsi saburra in primis viis fluctuet (§. 29.), haec, si sui evacuationem indicat et contraindicans detur nullum, evacuatur optime per vomitorium blande agens, praemisso praeparante, incidente; aut per purgans non drasticum. Si evacuatio contraindicatur, corrigitur per remedia, acrimoniam obtundentia, qualia sunt salium indolem nocivam vel acidam vel alcalicam immutantia, bilem temperantia, diluentia, quorum magnus numerus in materia recensetur medica.

§. LXVIII.

Sanguinis spissitudo inflammatoria (§. 30.) praeter remedia diaetetica requirit, ut viscidum illud inflammatorium quam citissime resolvatur, et stasis expediatur ob dicta (§. 26. n. 7. 8.) Hoc fit imminuendo impetum, quo sanguis versus loca obstructa urget. Larga hinc proderit venae sectio evacuatoria, optime in principio morbi, et pro re nata repetita. Tunc admisceatur sanguini blandum diluens vehiculum

copio

copiosum, quod, ne facile rursus ex corpore expellatur, sit gelatinosum quodammodo et saponaceum, uti sunt decocta avenacea, vel hordeacea, cum vel sine cornu cervi, et sacharo vel melle. Stimulus addatur per aromatica temperatiora. Praesertim vero non negligendus, sed strenue adhibendus, erit usus acidorum, vegetabilium magis quam mineralium, nitrosorum, et pro genio febris camphoratorum.

§. LXIX.

Specifica contra gravissimum nostrum symptoma (§. 24.) vix dari remedia sibi persuasum habent medici cordatiores. Quid ergo sperare licet, de pretiosissimis remediis exoticis, lapide bezoardico, tam orientali quam occidentali, cordiali de goa, porcino malacensi, bezoar simiarum, radice ninzing et similibus. Si ante exposita rite applicata minime profuerint, haec certe sola aegrum sanitati restituere non valebunt. Ditioribus tamen praescribi omnino possunt, ut nihil nos omisisse videamur, praesertim iis in locis, ubi pharmacopoeorum scrinia hos conservant thesauros, et opinio iis adiudicavit energiam singularem agonizantium vires ad aliquot horas refocillantem.

Sed dolendum, et haec ſaepius iam probaſſe veritatem dicterii,

Non eſt in medico ſemper relevetur ut aeger.

CORRIGENDA

§. V. poſt verba, laeſiones, adde functionum. p. 13. l. 2. allatam l. allatum. l. 10. ultimas l. ultimos. p. 24. lin. ult, depravat l. depravata.

PRAESES

DOSTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S.

Rectiſſime indicaſti, praecordiorum anxietatem in universum eſſe ſymptoma in omnibus generatim morbis, ſpeciatim vero in febribus continuis moleſtiſſimum, imo maxime terrificum: quia ſemper morbi gravitatem, atque in continuis utplurimum malignitatem, et ſtatum aegrorum periculoſiſſimum indicare ſolet. In his morbis docte, perſpicue atque eleganter, illud hac TVA in diſſertatione, haud ſine labore evolviſti atque bono ordine ac perſpicue deſcripſiſti, cauſſas *terribilis huius mali gnaviter indicaſti, atque perveſtigaſti, hisque generalem medendi modum, rationi et experientiae optimorum Medicorum nixum, propoſuiſti ac commendaſti. Fac, ut ingenium TVVM, penetrantiſſimum et acutiſſimum, in hoc argumento uberius exerceas, ut ubique et in quibuscunque morbis hoc anxietatis aegris duriſſimum ſymptoma, quod aegros moribundos plerumque omnes graviter vexat, avertere vel tollere valeas, ita quamplurimis aegris ſanitatem et vitam reddes, ſummamque nominis gloriam et fortunam hoc ipſo conſequeris, id quod ex animo TIBI apprecor. Vale.*

* * * *

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE ERVDITISSIMO

IACOBO FRIEDERICO IOANNI MVLLER

PHYSICO SEESENSIVM DESIGNATO

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

CAPESSENTI

S· P· D·

IO· CONRADVS BERG

Hamburg·

M· Cult· Oppon·

Elapsum est octo fere annorum spatium, ex quo Jenae, in inclyta illa Musarum sede, primordia cepit amicitia nostra, quam animorum consensus ita roboravit, ut nullum illam destruere valeat aevum. Quid igitur mirum, quod TIBI, qui, Clementissimi nostri Principis gratia Physici munere ornatus, mox summis in arte salutari exsplendesces honoribus, amicitiae exhibeam monumentum, et de his, iustis industriae eruditionisque praemiis, nec non de docto specimine inaugurali publice gratuler. Fruere, Amice suavissime! hoc TVO honore, ad praenobilissimam gentem TVAM, quin ad omnes, quos TIBI elegisti amicos, pertinente. Faxit summum Numen, ut conatibus TVIS respondeant felices eventus, et, auxilio TVO, multis aegrotis restituatur sanitas. Id est, quod opto. Vale, Amice optime! et amore TVO in posterum me complecti perge. Dabam Helmstadii d. XXVIII, Novembr. MDCCLV.